

tionum fidei, ex Concilio Senonen., cap. 23, quod est de libero arbitrio, ubi cum retulisset verba Damasceni, excludentis necessitatem ab operibus liberi arbitrii, subdit hæc verba: *Quæ omnia æque militant contra eos qui subiciunt hominum actus inevitabili necessitati, undecumque illam pendere dicant, sive ab ipsis astrorum lationibus, ut autumarunt illi contra quos superioribus verbis agit Damascenus; sive a fato quodam inexorabili, ut posuerunt Ethnici quidam; sive a futurorum absoluta quadam necessitate, quæ contingentiam non admittat, ut falso putarunt nonnulli, de divina præscientia ac providentia male sentientes.* Et infra optime declarat quomodo dici possit divinum auxilium subesse voluntati hominis, scilicet, quia ex parte Dei offertur, et si petatur, obtinebitur, et in homine est vel illo bene uti, vel illud negligere. Et de his qui negligunt, subdit: *Nunquid hujusmodi error in via morum adscribendus est duræ cuidam necessitati, aut destitutioni liberi arbitrii? Nequaquam,* etc. Ac denique tam multa in hanc sententiam dicit, solvendo objectiones omnes quæ nobis solent ex Scriptura opponi, ut inter eos qui sententiam nostram expresse docent, merito numerari possit.

35. *Expenditur Jansenius, Joan. 6.* — Tertio, expendere oportet locum Jansenii in Concord., capite quinquagesimo nono, ad verba Christi, Joan. 6: *Nemo potest venire ad me,* etc., quia F. Davila et Cumel de illo nobiscum contendunt. Verba autem quæ referunt in sententia, solum continent generalem doctrinam, nimirum, Deum efficaciter excitare mentes hominum, et longe aliter movere intellectum et voluntatem, quam alius homo vel Angelus, nimirum proprie et physice in illa interius efficiendo ipsosmet talium potentiarum actus. Unde notat etiam distinctionem inter verbum *trahendi* et *veniendi*. Nam prius gratuitam Dei motionem prævenientem omne meritum et usum libertatis, et gratiæ divinæ efficaciam indicat; posterius autem verbum, *veniendi*, ostendit hominis libertatem, quæ per gratiam Dei efficacem non læditur, quæ omnia, ut dixi, generalia sunt, et potest unaquæque opinio illa in suo sensu interpretari. Ulterius vero proponit Jansenius dubium a nobis late discussum, quomodo, cum necessitate tractionis, illi qui non trahuntur sua culpa non veniant, quando sufficienter fidem audiunt. Et post multa quæ dicit circa Chrysostomi responsiones, in quibus aliquid statim notabimus, in summa respondet cum Augustino, eos qui non

trahuntur, non excusari, *quia obicem et impedimentum posuerunt divinæ attractioni, dum acceptis a Deo donis non bene utuntur.* Hæc autem responsio non habet locum, posita necessitate auxilii prædeterminantis, ut sæpe ostensum est, quia si illud est necessarium ad omnem bonum usum prævenientium donorum gratiæ, etiam primæ vocationis, ergo necessario sistendum est in aliquo, quod non negatur propter defectum boni usus, quia ante usum, qui est effectus ejus, nullus bonus usus esse poterat, et ab illo pendent consequenter reliqua. Illa ergo responsio ostendit Jansenium per gratiam efficacem non intellexisse auxilium prædeterminans, neque sententiam Augustini de illo intellexisse. Accedit quod, prius referens Chrysostomum dicentem aliquando nos incipere bonum opus, et inde sumi rationem (utique proximam) cur iste trahatur et non ille, illum recte defendit a Semipelagiano errore, quia supponit gratiam excitantem, qua posita, recte dicitur homo incipere consensum, non tamen sine gratia adjuvante, et principaliter efficiente proprie, ac perficiente ipsum consensum. In quo satis etiam aperte sentit, postquam gratia præveniens dedit homini potestatem propinquam, et proxime elicivam actus, non esse necessarium aliud initium solius Dei prædeterminantis, sed potentiam posse immediate inchoare suum actum, quia *illi potentia sic constituta in actu primo propinquo nihil deest nisi executio actus*, ut idem auctor paulo antea dixerat, quod tamen initium executionis non est sine gratia cooperante, ut idem etiam docet.

36. *Allegatur Roffensis.* — Quarto, allegari solet pro nostra sententia Roffensis, artic. 36 contra Lutherum, nec immerito, tum quia impugnando hæreticos, impugnat omnem antecedentem necessitatem, ut libertati contrariam; tum etiam quia expresse ac sæpius docet auxilium Dei ita conferri homini antecedenter, ut in manu ejus sit illo bene uti sine aliqua præveniente determinatione, et per illud se ad gratiam sanctificantem præparare: *Quod cum sua sponte (inquit), non coactus faciat, contingenter utique facit; nec tamen per hoc, ait, prævenitur Deus, aut de novo quicquam vult, quod antea noluerat. Quæ res unanimi consensu Patrum traditur.* Hæc ille versus finem, in § *Utrumque*, sicut diximus.

37. *Recensetur Horantius.* — Distinguit gratiæ dona. — Quinto, allegatur Horantius, libro 1 de Locis Cathol., qui totus est contra errorem Calvinii, de gratia efficaci auferente

libertatem; per quamdam vero conjunctissimam sympathiam, seu consecutionem, simul prædeterminationem oppugnat, et ejus fundamenta dissolvit. Tale illud est quod, capite 31, contra Calvinum defendit, rationem discriminis, cur iste vocatus venit, et non ille, optime ex libero arbitrio sumi, quia, scilicet, hic manum porrigit, et non alius. Item, cap. 42, irridens Calvinum, ait: *O pulchram consecutionem: Deus humanum cor emollit; ergo seipsum flectere non potest! Libet ridere;* et infra: *Quasi vero non magis quadrent celestis favor et nostræ vires, quam quicumque alius concursus causæ superioris cum inferiori.* Item, in multis, quæ cap. 47 et 52 dicit, prædeterminationem plane excludit, et præsertim cap. 53, ubi distinguit gratiæ dona in tres ordines, prout Soto antea facerat, et in secundo ponit actus pietatis liberos, in quibus nihil dicit operari Deum, nisi cooperante libero arbitrio, nec inter illos et priores motus gratiæ excitantis medium auxilium a solo Deo factum agnoscit, multaque alia in sequentibus capitibus usque ad 58 notari possunt.

38. *Adducitur Franciscus Carthag.* — Sextus sit Franciscus Carthag., in tractatu de Prædestinat., præsertim discursu 4 et 8, ubi ex professo probat determinationem nostræ voluntatis, nec fieri sola Dei actione, nec sine illa nobiscum cooperante.

39. *Item Delphius.* — Septimus Delphius. Sæpius materiam hanc indicat libro de Rerum eventu, et libro 4 de Liber. arbitr., et libro 5 de Justificat., et libro 2 de Prædestinat., per totum, præsertim dub. 2, ubi, inter alia multa, dicit, voluisse Deum ut homines ipsi ad alterutram partem se determinent, et ideo post vocationem expectare illos, ut eis suam gratiam impendat, et ab eorum libertate pendere quod vocatio efficax vel inefficax sit, et similia.

40. *Adnumeratur Franciscus Romæus.* — Octavo, his annumerari potest Franciscus Romæus, Magister Generalis sacræ Religionis Prædicatorum. Nam in libro de Necessitat. et libert. oper., ex professo docet necessitatem ex suppositione antecedenti esse contrariam libertati, et hanc fuisse sententiam communem Patrum et Concilii Tridentini, cui interfuit.

41. *Et Thomas Elisius.* — Et nono ei adjungimus Thomam Elisium, ejusdem familiæ Theologum, in lib. de Liber. arbitr., quæst. 4, artic. 8.

42. *Tum Rom. Balchar.* — Decimus refer-

tur Franciscus Balchar., Episcopus Mitens., lib. contra Calvinum.

43. *Additur Bunderus.* — Undecimus, Bunder., in Compend. controver. Theolog., lib. 6 de Grat. et liber. arbitr., art. 7, et in Scuto fidei, tit. 10, de liber. arbitr., proposit. 4.

44. *Et Cunerus.* — His addimus Cunerum, lib. de Grat. Christi, cap. 10, et lib. de Grat. et liber. Arbitr., cap. 10, ubi, inter alia, ait concursum causæ primæ non esse aliquid prævium in causa secunda, ac proinde utramque causam simul concurrere, solumque primam dici priorem, quia superior est, a quo inferiores pendent, et ibi etiam laudat sententiam Driedonis et Ruardi, dicentium ex duobus similiter vocatis, unum posse converti, et non alium pro sua libertate; quia vero Ruardus addidit particulam *sola*, ipse bene declarat illam particulam solum excludere aliam prævenientem gratiam, non Dei cooperationem, quæ simul incipit et desinit cum libero voluntatis opere. Ac denique per varias assertiones sententiam hanc defendit et declarat. Sic etiam Joannes Maria Verratus, in Apologia contra fautores Lutherorum, dicit, in illa sententia libri de Ecclesiast. dogmat.: *Initium nostræ salutis Deo miserante habemus, ut vero acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ pietatis est, unum solius Dei esse, scilicet, initium salutis, aliud esse in mera facultate nostri liberi arbitrii, scilicet, acquiescere, etc., ubi videtur excedere illa particula mera, sed eandem habet intelligentiam, quia non est posita ad favendum Pelagio, sed ad contradicendum Calvino; non ergo excludit adjuvantem gratiam, sed prædeterminantem.*

45. *Adponuntur alii.* — Præterea, Julius Sirenius, in Compend. de prædestinat., lib. 2 de Reprob., cap. 18, ejusmodi prædeterminationem diserte excludit; Joannes Maria Cappella, lib. de Concord. libertatis humanæ cum divina præscientia, part. 1, cap. 26, et part. 2, cap. 5, 6 et 7; Felicianus Capitonius, in Explicationibus Catholic., part. 2, explicat. 55; Petrus Aurelianus Sanutius, in recenti Lutherorum propugnatione, digress. 3; Sadolet, in Epistol. ad Roman., cap. 8; Osorius, lib. 9 de Justit., qui etiam excedit in negotio prædestinationis, sed nunc illud non agimus.

46. *Item alii.* — Præter hos auctores, nonnullos commemorat F. Cumel, et de quibusdam solum dicit allegari a nobis, nostram vero non docere sententiam; de aliis vero ait etiam suam tradidisse. In priori ordine ponit Sixtum

Senens., libro sexto Bibli., ann. 248; non designat autem quis ex nostris illum in hoc puncto allegaverit, neque ego novi. Item Jansenium, Ecclesiasti., 15, et Ekium in Enechirid., capite trigesimo-primo; qui certe in his locis nihil dicunt quod ad causam pertineat. In alio vero ordine, præter alios de quibus jam dixi, in primis adducit Petrum Soto, in Institut. Sacerdot., lect. 9 de Pœnit., quia dicit operationem Dei esse efficacem, et natura priorem in conversione peccatoris. Sed hæc, et omnia quæ ibi dicit, generalia sunt, possuntque optime intelligi, vel de vocatione congrua et efficaci, vel de operatione qua Deus nobiscum cooperatur; aperte enim declarat esse priorem natura ratione independentiæ, quia Deus a nulla causa pendet, sed alia ab ipso. Addit Hieronymum Perez, sui ordinis virum doctissimum, in Commentar. ad 4 part. divi Thomæ, quæstione decima-nona, articulo secundo, et quæstione vigesima-secunda, articulo primo, secundo et tertio; sed hunc auctorem videre non potui, neque ego scio an scripta ejus typis mandata sint. Quæ tamen ipse refert, valde generalia sunt, ut quod Deo attribuit efficaciam gratiæ, quia non solum attingit rem, sed etiam modum fiendi, et quod prædefiniat actus liberos, et similia, de quibus nunc non est controversia, ut sæpe dixi.

47. Tertio, refert Medinam Complutensem, de quo nihil aliud affert, præter id quod refert Corduba loco supra citato, de cujus sententia jam satis dictum est; nec Medina aliud refert, nisi quod Deus concurrat cum causis secundis per suam voluntatem, quod nemo negat; de modo autem voluntatis et concursus est controversia. Allegat præterea Franciscum a Christo, in 1, distinct. 39, et distinct. 40 et 41; sed in priori loco solum agit de concordia divinæ providentiæ cum libero arbitrio, et refert varias sententias, nihilque satis definit: neutram autem ex his de quibus nunc tractamus in particulari attingit, sed vel in generali contentus est illa responsione communi, quod efficacia divinæ voluntatis tanta est, ut effectus, et modos eorum provideat, vel descendendo ad modum particularem magis inclinatur in quamdam Gregorii sententiam nostræ valde affinem. In posteriori autem loco tractat de causa prædestinationis, nihil vero de nostra attingit. Denique allegat Cosmam Philiarcum, in quæstione de causa prædestinationis et reprobationis ad Gregor. XIII, a cap. 11 usque ad 15, et lib. 3 de Dogmatibus fidei, cap. 24, ubi docet Deum determinare voluntatem per

auxilium gratiæ, et prius natura. Ille vero auctor, licet de prima conversione id late doceat, præsertim in cap. 11 de Prædestinat., nihilominus expresse dicit in actibus moralibus voluntatis, imo etiam in multis operibus gratiæ, postquam homo est in gratia, ipsum hominem se determinare, et rationem determinationis immediate a voluntate sumi; imo dicit in his actibus voluntatem, cum se determinat, esse priorem natura concursu Dei; solum ergo excipit primam gratiæ acceptionem. In quo certe non consequenter locutus est, nec pro aliqua sententia earum quas tractamus, allegari potest. Magis tamen favet nostræ, quia docet prædeterminationem physicam non esse necessariam ad omnes actus; modum autem specialem quo Deus determinat voluntatem ad primam gratiæ acceptionem, non declarat. Quapropter, si quis velit quæ attulimus attente ponderare, vel auctores ipsos evolere, facile intelliget nostram sententiam fuisse communem Theologorum consensum, priusquam a paucis modernis in dubium vocetur.

## CAPUT XLIII.

TRACTATUR QUÆSTIO APPENDIX, AN PRÆVENIENS AUXILIUM SUFFICIENS, ET EFFICAX, POSSINT ESSE ÆQUALIA IN DUOBUS HOMINIBUS QUORUM UNUS CONSENTIT VOGATIONI, ET NON ALTER.

1. *Argumentum capitis.* — Probando sententiam nostram, simul fundamenta contrariæ sententiæ, tam quæ ab auctoritate quam quæ ratione petuntur, dissolvimus; nunc vero duas vel tres appendices quæstiones quæ hic tractari solent, et in lib. 3 de Auxil. a nobis disputatæ sunt, hic addere oportet, tum ad materiæ complementum, tum quia aliquid in eis addendum occurret, quod ad majorem veritatis confirmationem ac declarationem, et aliarum objectionum expeditionem confert. Solent ergo adversarii maxime nobis objicere, quod ex nostra sententia sequatur, ex duobus hominibus recipientibus æqualia gratiæ auxilia, contingat unum converti, et non alium, quod maximum reputant inconveniens. Sequela videtur manifesta, quia, stante eodem auxilio, potest homo operari et non operari; ergo idem homo cum eodem auxilio potest uno tempore consentire, et non in alio; ergo pari vel majori ratione, ex duobus hominibus unus cum æquali auxilio poterit consentire, licet alius dissentiat,

Falsitas autem consequentis solet a dictis auctoribus præcipue probari, quia in eo qui consentit, Deus actu facit ipsum actum consensus, quem non facit in alio: ergo necessario dat illi majus auxilium. Hæc vero probatio divertit a vero sensu quæstionis, et ex æquivocatione procedit, quam ante omnia tollere necesse est.

2. *Distinguitur inter auxilium præveniens et concomitans.* — Primum ergo omnium distinguere oportet inter auxilium præveniens et concomitans, quod est ipsemet actualis influxus Dei in actum liberum hominis supernaturalem, qui influxus in re non distinguitur ab actione libera hominis, sed est eadem, ut manans a Deo, ut sæpe dictum est. Hic ergo influxus est in eo qui convertitur, et non in eo qui resistit, unde non sunt æquales, nec esse possunt in auxilio concomitante. Nec refert quod Deus sit paratus ad dandum simile auxilium ei qui non convertitur, et quod per eum stet quominus illud recipiat; nam hoc non obstat quominus in alio pertineat ad majorem Dei gratiam recipere actualiter illud auxilium, quo alius ex negligentia sua caret. Semper igitur qui convertitur habet ex hoc capite majus auxilium, et consequenter majora etiam dona, vel actualia, nam ipsimet actus sunt dona Dei, vel habitualia, quæ ratione actuum infunduntur. Unde, ad tollendam hanc æquivocationem, et omittendum hoc punctum, de quo non potest esse controversia, quæstionem posui de solo præveniente auxilio, seu de vocatione, in qua punctum est difficultatis.

3. *Consideratur auxilium præveniens.* — Secundo, supponere oportet auxilium præveniens duobus modis spectari posse. Primo, secundum suam entitatem, et vim quam habet ad movendam et trahendam voluntatem, sive illa vis physica sit, sive moralis. Secundo, potest considerari in ratione doni et beneficii gratuiti; non enim semper hæc duo æqualiter, seu cum eadem proportionem alicui rei conveniunt, sed interdum illud donum, quod in sua entitate absoluta vel minus est vel non majus, in ratione beneficii et doni moraliter existimatur majus propter diversos respectus, maxime vero quia in ea opportunitate datur, in qua vel magis necessarium est, vel majorem fructum homini est allaturum. Sic certe contritio data homini in medio vitæ, a qua fortasse postea recedet, vel data in extremo vitæ et cum qua salvetur, non reputatur æquale beneficium, sed hoc posterius multo majus, etiamsi fortasse contritio ipsa nec in intensio-

ne, nec in duratione, nec in auxiliis ad eam necessariis sit major, imo etiamsi sit minor. Ratio autem est, quia beneficium et gratia, sicut etiam misericordia vel eleemosyna, non attenditur solum ex quantitate doni, sicut motio vel auxilium, sed maxime ex affectu dantis, et ex commoditate recipientis, et ex effectibus vel fructibus qui de facto in tali dono, tanquam in semine et in virtute continentur, ut facile posset humanis exemplis monstrari, sed res est per se satis clara.

4. *Asseritur gratiam efficacem prævenientem excedere prævenientem gratiam, quæ tantum sufficiens est.* — Tertio, supponendum est vocationem, seu gratiam efficacem prævenientem, in ratione gratiæ et beneficii semper excedere prævenientem gratiam, quæ tantum sufficiens est. Hanc assertionem tradidi cum Bellarmino, lib. 3 de Auxil., cap. 20, et probabiliter satis illam suadet testimonium Pauli, 1 Corinth. 4, quod in hac causa maxime objici solet: *Quis est qui te discernit.* Nam intelligendo hæc verba de discretionem in æterna sanctitate et justitia, inter eum qui convertitur, et cum qui resistit, illam Paulus Deo singulariter attribuit, quod (ut supra declaravi) maxime intelligendum est secundum divinam electionem et præparationem divini auxilii congrui et accommodati; ergo hoc est peculiare beneficium, quod recipit is qui convertitur, et non alius, pertinetque ad prævenientem gratiam. Atque ita intellexit hunc locum Augustinus, docens plane hanc sententiam in lib. de Prædestinat. Sanctor., a cap. 5 usque ad 16, ubi differentiam in hoc constituit, quod *præparatur voluntas a Domino*, utique per vocationem congruam, ut aliis locis supra citatis exponit, et specialiter de Dono perserver., cap. 14, ubi docet quod, sicut Deus vocat congruo modo eum quem elegit, ita potuisset præparare opportunitatem similis vocationis ei quem non elegit, et ideo merito ad gratuitam Dei voluntatem, hanc diversitatem revocat, et singulare Dei beneficium esse reputat.

5. *Inæqualitas gratiæ habitualis unde proveniat, ex D. Thoma.* — Quod etiam sentit Prosper ad quartam et quintam objectionem Gallor., et ad excerpta Genuens., cap. quinto, et lib. 2 de Vocat. gent., cap. 23, alias 8; Remigius, 1 ad Corinth. 4. Ac denique divus Thomas 1. 2, quæst. 112, artic. 4, in hoc sensu docet inæqualitatem gratiæ habitualis provenire ex inæquali dispositione, non esse tamen ibi sistendum tanquam in prima radice, quia hæc posita est in diversa præparatione